



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

dictum ad novum capitulum non pertinet, sed ex illis oriantur, & illis conjuncte sint, quæ apud anteriorem Judicem fuerunt proposita. *L. ult. §. 1. C. de appell.* quamvis quoad testium productionem dissentiat. *Farinac: de testib. q. 75. cap. 7. n. 308.* SED quantum ad probationes attinet, quæri posset utri probationis onus incumbat appellanti, an adversario, placet communis distinctio, ut si appellans vitium processus arguat, idipse probet. Sin de meritis causæ quæstio sit, probatio injungatur ei, cui priore quoque instantia idonus incumbebat. *L. ab ea part: ff. de prob. Mælard: libr. 1. de prob. Conclus: 115.* An etiam jurare de calumnia litigatores debent? negat Placentinus & Azo. quorum sententia iuri multum est consentanea. *ad arg. L. un. C. ne lic. in una ead. caus: tert. provo. Controv. vertitur quoque, an mutuæ petitioni in appellationibus locus detur, verius est non dari, quia victor non sponte, sed necessitate compulsus ad Judicem appellationis vadit. Sand. lib. 1. tit. 6. defin: 1. Barth. & alij.* 14. Si causæ appellationis inter præfinita tempora redditæ fuerint, secundum ea-

rum merita Judex feret sententiam: si minus prius judicium confirmabit propter contumaciam, negligentiam vè appellantis, vel potius ipso jure confirmatur. *L. ultim: §. 1. & 4. C. de tem. appell:* Rebus: de appell: num. 5. Poenam etiam 50. librarum auri infliget ei, qui malam litem appellatione prosecutus fuerit. *L. eos. 6. §. Nettmerè C. eod.* Dum à parte duntaxat sententiæ appellatum est, an Judex appellatio-
nis eam quoq; corrigere potest, à qua ap-
pellatum non est? *Potest:* id enim evincit
L. ult. C. de appell.

15. Judicis etiam est providere, ne quid pendente appellatione innovetur, aut attentetur, sed integra omnia appellatori serventur in eum diem, quo pronuncia-
tum fuerit. *L. un. ff. nib. nov. appell. interpos.*
Ratio, quia appellatio jurisdictionem Ju-
dicis à quo suspendit, & quasi dormire fa-
cit. *Cap. pastoralis. §. 1. h. tit. Cap. si à Iudic.
h. t. in 6.* Excipiuntur tamen causæ quædam,
quæ & pendente appellatione executioni mandantur: ut si quis ob plura crima-
condemnatus, propter levius appellave-
rit. *cit. L. un.* Item causa alimentorum.